

15. Quando autem ipse Deus dicitur suum fœdus abrumpere, tum id Deo tribuitur per ἀνδραποπάθειαν (hominis enim cor seu animus dicitur rumpi, id est frangi, Num. 32. v. 7. & 9. seu averti: quæ aversio, quia mutationem includit, homini proprie competit) ad indicandam Dei voluntatem ultricem & vindicatricem, & ad ipsam etiam ultionem exprimendam. Hoc fit secundum.

16. 3. Argumentum in specie peto a natura fœderis gratiæ in circumcissione cum populo veteris Testamenti, & in baptismo nobiscum a Deo percussi. Syllogismus sit talis: Si fœdus gratiæ, quod quidem adulti homines post sacramentum initiationis, per maleficia gravia fregerunt, a parte Dei tamen manet ratum & inconcussum; Ergo Deus ex sua parte non fit fœdifragus, proindeque ratione sui non irritam facit remissionem peccatorum. At prius. E.

17. Connexio propositionis patet. Assumptio probatur. 1. A circumcissione, in qua cum circumcisis Deus icit fœdus gratiæ, Gen. 17. v. 7. Nam & circumcisio respexit τὸν λόγον incarnandum, eumque certa ratione præfiguravit. Confer Col. 2. v. 11. Hoc fœdus ex parte Dei mansit validum, licet homines deinceps peccarint. Hinc circumcisi argumentum consolationis suæ in omni sua vita petiverunt à percepta in infantia sua circumcissione, ut testatur exemplum Davidis, 1. Sam. 17. v. 26. Jonathæ, 1. Sam. 14. v. 6. & populi, Nehemiæ 9. v. 8. non tantum in afflictionibus externis: verum etiam internis, videlicet adversus peccata: siquidem circumcisio fuit & sigillum justitiæ fidei, Rom. 4. v. 11. utpote quam in circumcissione, & per illam, circumcisi fuerunt adepti.

18. Et licet fœmellæ fuerint circumcissionis in seipsis incapaces: tamen ex ordinatione Dei (non ipsa nativitate ex circumcisis parentibus carnali: φύσιν namque fuerunt & fœmellæ iræ Dei subjectæ, Ephes. 2. v. 3. & quod ex carne natum est, caro est, Joh. 3. v. 6. Sicut igitur peccabilis nostri conceptio non est medium propagandæ gratiæ Dei regenerantis & justificantis, sed pravitatis naturalis: ita & carnalis nostri generatio est medium non illius, sed hujus in nos traducendæ) fœderis hujus fuerunt participes. Nam Deus cum Abrahamo, & cum omni ejus semine (non solum masculino, sed etiam feminino) fœdus gratiæ pepigerat, hac ratione, ut (non fœmella, sed) omnis masculus octavo die circumcideretur, Genes. 17. v. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 17. 19. & Act. 2. v. 39. Quam Dei fœderalem ordinationem sic etiam fœmellæ V. T. intellexerunt, ut hinc optime se solari valuerint, ut ostendit